

PRAEDICAMEN-
T A S C O T I .
D E Q U A N T I T A T E .
Q V A E S T I O I .

An Quantitas sit genus unum?

Quantitatis autem aliud quidem est continuum; aliud discretum; &c. cap. de quantitate.



VERITUR: primo; an quantitas sit genus: quod non videtur: quia nullum genus prædicatur denominatiue de specie: sed hæc est vera: linea est quanta: & sic de alijs, quæ ponuntur de genere quantitatis: igitur nullum istorum est eius species: igitur nullam speciem habet: igitur non est genus. Probatio maioris: nullum prædicatum uniuocum est denominatiuum, per Aristotelem prius: ergo, &c. Probatio huius maioris: quia ratio prædicati uniuoci est ratio subiecti: quod manifeste est verum de genere, respectu speciei: sed nullius denominatiui ratio est ratio subiecti: ut dicitur in cap. de substantia: quia album prædicatur de corpore: rationem vero albi impossibile est prædicari.

Item, quantitas non habet species: quia de continua, & discreta, non prædicatur æqualiter: & genus æqualiter prædicatur de speciebus. Probatio assumpti: quia quantitas continua est naturaliter prior sua diuisione: quia, in quantum continuum, est diuisibile, & naturaliter prius sua diuisione: igitur & continuum est prius numero: quia numerus est posterior diuisione continui: cum causetur ex illa, per Arist. 3. Physi. corum.

Ad oppositum est Aristoteles. Queritur: utrum quantitas sit genus unum? quod non videtur, quia per Arist. primo Posteriorum & 10. Metaph. In omni genere vno est vnum primum, & minimum, quod est mensura aliorum: sed in quantitate non est vnum primum, & minimum, sed duo; scilicet, unitas, & punctus: igitur quantitas est duo genera.

Ad oppositum est Aristoteles.

Item, cuiuscumque generis omnes species sunt oppositæ: quia vel primas differentias includunt; vel differentias oppositas diuidentes aliud genus inter medium; si sub aliquo eodem genere inter medio contineantur: & includens unum oppositum non prædicatur de alio includente alterum, eo modo, quo differentia diuisiua generis debent esse oppositæ: igitur nulla species vnius generis de quacumque specie illius generis prædicatur: Sed aliqua species quantitatis prædicatur de alia denominatiue: ut linea est numerata: igitur, &c.

Item, passio, & subiectum, non sunt in eo-

in eo-

in eodem genere; ut species: tunc quia passio prædicatur denominatiue de subiecto: igitur & genus passionis: sed genus subiecti non prædicatur denominatiue de subiecto: ergo non est idem genus subiecti, & passionis: prima consequentia patet ab inferiori ad superius. Tunc quia tunc passio de subiecto non prædicaretur: ut patet ex præcedenti argumento, quod ostendit, nullam speciem cuiuscumque generis posse prædicari de alia: sed longitudo est passio lineæ, quæ est in genere quantitatis: & longitudo est in genere quantitatis: ergo genus quantitatis non est vnum.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad questionem dicendum: quod quantitas est genus: quia prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: ut de quantitate continua, & discreta: quia quæsitio, quid de utroque eorum? conuenienter respondetur: quantitas. Et est generalissimum: quia non habet genus superueniens: nihil enim de eo prædicatur in quid; nisi ens, quod non est genus: quia nec uniuocum. Et est vnum genus: quia secundum vnâ rationem dicitur de omnibus suis speciebus.

Sed quæ sit illa vna ratio, duplex est modus ponendi. Vno modo ponitur ratio mensuræ. Tum quia probat hic Aristoteles orationem esse speciem quantitatis, per hoc, quod est mensura. Tunc, quia secundum diuersitatem huius rationis variantur species quantitatis: quia mensura continua, quædam est intrinseca mensurato: quædam extrinseca: intrinseca, vel mensurat secundum vnâ dimensionem tantum; & sic est linea: vel duas; & sic est superficies: vel tres; & sic est corpus. Extrinsicæ duplex: propria; & sic locus: vel communis; & sic tempus: & dicitur locus, mensura propria: quia vnus tantum est vnus mensurati: tempus communis: quia est idem multorum mensuratorum: non autem cuiuscumque temporalis suum tempus est propria mensura. Manifestum est etiam numerum, & orationem, esse mensuras.

Contra istud: ratio generis æqualiter inuenitur in omnibus speciebus: non sic ratio mensuræ in continuo, & discreto: quia vni maxime proprie

proprium est esse mensuram: & cum illud per se sit principium numeri; ab illo primo deriuatur ratio mensuræ ad numerum: & de numero ad continuum: ut manifeste habetur 10. Metaph. cap. secundo.

Si dicatur: quod discretum est prius continuo in se, non comparando ad suum genus. Hoc concedit propositum: quia neutrum participat rationem generis per alterum: sed continuum non habet rationem mensurandi, nisi a discreto: ut docetur vbi supra: ergo ratio mensuræ non est ratio quantitatis: ut est genus.

Ideo dicitur aliter: quod licet per se mensura conueniat quantitati: non tamen est illa ratio essentialis quantitatis, secundum quod ei attribuitur ratio generis: sed ratio diuisibilitatis: & hoc de illa diuisione, quæ est in partes eiusdem rationis: quod ostenditur tripliciter primo. In quinto Metaph. vbi diffinitur quantum; secundum quod potest habere diffinitionem; saltem exprimentem quid dicitur per nomen: ibi sic notificatur: Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt; quorum singulum natum est esse hoc aliquid, id est, in partes eiusdem rationis: igitur quantitas est per se diuisibilitas in huiusmodi partes: nam vbi est prædicatio per se primo modo, tenet a concretis ad abstracta.

Secundo ostenditur: quia quantitas continua, & discreta, non diffiniuntur hic per mensuram: sed per hoc; quorum partes copulantur, &c. Igitur de eorum essentia est esse partibile.

Tertio, quia per rationem diuisibilitatis sumuntur species quantitatis in quinto Metaphysic. quia diuisibile in non continua est numerus, vel oratio: in continua secundum diuisionem vnâ; linea; secundum duas: superficies: secundum tres; corpus: & secundum alias differentias diuisibilitatis possunt sumi tempus, & locus.

Contra hunc secundum modum: quantitas continua est in potentia diuisa: discreta actu: quæ sunt actu, & potentia, aliquid, non sunt æqualiter illud: ergo diuisibilitas non æqualiter conuenit continuo, & discreto. Assumptum patet: quia partes numeri actu sunt diuisæ ab inuicem; continui non.

Z Item,

Tex. com. 2. 3. & inde.

Tex. com. 18.

Tex. com. 18.

Item, cuius est potentia per se, eius est actus: si igitur quantitas continua sit per se diuisibilis, potest esse per se diuisa: igitur continua potest esse per se non continua: quod non videtur dandum.

Item Aristot. probat, oratione quantitate esse: quia est mensura: igitur illa est ratio quantitatis.

Ad primum potest dici: quod quantitas discreta est vna, & indiuisa: id est, dum manet in sua specie; vnde cumque sit eius vnitas: quamuis materialia, quæ subsunt illi formæ, sint diuisa: v.g. quaternarius in sua specie manens est formaliter indiuisus; quia diuisio eius perimit formam quaternarij: quia, diuisione facta, in ternarium, & binarium, non amplius manet quaternarius: licet materialia, vt vnitates, sint sic diuisa: vnde negandum est, quod sumitur de discreto.

Ad secundum dici potest: quod actus huiusmodi potentia: continuum est diuisibile: non est iste: continuum est diuisum: sed iste: continuum diuiditur: id est, est in fieri diuisionis; & illud potest per se inesse continuo.

Ad tertium, quod non negatur, illud, quod per se est mensura, esse quantitatem: sed quod illa ratio non est essentialiter quantitatis, vt est genus: quia non æqualiter inest speciebus eius.

Ad primum argumentum primæ quæstionis potest dici: quod de linea absolute non dicitur quantitas denominatiue; nec de aliqua sui specie absolute sumpta: sed in abstracto, & in quid: sed denominatiue dicitur de linea in materia, & alijs speciebus: & sic sumitur species eius, vt concreta. Et non est mirum; concretum generis prædicari de concreto specie: vnde quantumcumque vsus loquendi sit dicere: linea est quanta, siue diuisibilis: & ita de alijs speciebus: hoc simpliciter est falsum de eis; vt sunt species: quia tunc essent subiecta quantitatis, vel diuisibilitatis: talis enim modus prædicandi conuenit omnibus accidentibus respectu subiectorum.

Aliter dicitur: quod maior est vera in omni alio genere a quantitate; & non de illa specialiter: quia quantitas non tantum alijs est principium mensuræ, vel diuisionis: sed etiam sibi: & ideo se denominat, & suas species, quod non

est verum de alijs.

Ad secundum dico: quod in omni genere potest aliqua species esse prior alia in essendo, comparando illas inter se: sed nulla est prior alia in participando rationem generis: sic continua quantitas naturaliter est prior discreta: vt ostendit ratio: licet non in suscipiendo prædicationem quantitatis: quia neutri speciei inest diuisibilitas per alteram.

Ad primum argumentum secundæ quæstionis dicitur: quod punctus, & vnitas, non sunt duo simpliciter prima; quia punctus ad vnitatem reducitur; vt ad prius se: est enim punctus vnitas habens positionem: vt dicitur 1. Post. & ita tantum vnitas est primum. Tex. 42.

Contra: sicut principium ad principium: sic principiatum ad principiatum: igitur si vnitas sit materiale, vel formale in puncto; quorum alterum oportet; si punctus sit vnitas positionem habens: & discretum erit similiter, vel formale, vel materiale, in continuo: non materiale, manifestum est: quia continuum non componitur ex discretis: igitur formale: quod negat Aristot. 7. Metaph. reprehendens Platonem, qui ita posuit. Tex. com. 33. & circiter.

Ideo dicendum: quod sicut magnitudo non est multitudo; neque materialiter neque formaliter: sic punctus non est vnitas, neque materialiter, neque formaliter: quia punctus est indiuisibilitas magnitudinis; vnitas multitudinis: nec est hæc distinctio Aristotelis: punctus est vnitas, &c. Sed si alicubi dicitur de puncto: hoc est secundum Platonem, qui posuit numeros esse formalia in continuo: & ita vnitate in puncto: sed nec secundum Aristot. nec secundum Platonem, habetur 1. Posteriorum illa distinctio: sed sic: vnitas est substantia sine positione: punctus autem substantia posita: quod manifeste falsum est secundum Aristot. sed verum, secundum Platonem ponentem quantitates esse differentias rerum. Tex. 42.

Aliter ad argumentum potest dici: quod maior: scilicet, in omni genere: non est vera de omni genere generalissimo: quia vix in aliquo genere generalissimo posset aliquod vni primum assignari mensura omnium aliorum: vel in nullo: sed intelligitur illa propositio de genere naturali: & dicitur illud genus naturale, cui respondet vnitas suscepti-

ceptiui: hoc est, quod tantum dicitur de formis habentibus idem susceptiuum primo: & de huiusmodi explicat Aristot. vbi illam propositionem dicit: non tale genus est quantitas.

Aliter potest dici: quod licet sint duo prima, & minima, in genere quantitates: tamen tantum est ibi vnum primum, & minimum, quod est mensura aliorum: punctus enim non est mensura continua: quia tunc aliquotiens sumptus redederet continuum: & esset continuum compositum ex indiuisibilibus: sed vnum essentialiter est mensura numeri: vnum autem applicatum alicui parti continui est mensura continui: vt dicitur 10. Metaph. Vnde tantum vnum est mensura in hoc genere.

Vbi supra & inde.

Ad secundum argumentum concedo: quod nulla species generis prædicatur de alia in abstracto, secundum quod includit differentias oppositas: tamè possibile est hoc in concreto; secundum quod species, quæ subijcitur, sumitur, vt est in materia; & non vt est species opposita.

Ad tertium dico: quod longitudo; latitudo; magnitudo; multitudo: &c. sunt æquiuoca; vt notant quantitatem; & excessum in quantitate; primo modo sunt species quantitatis: secundo modo, passionis: primo modo sunt idè, quod linea, superficies, &c. nec habent opposita, breue, vel strictum: quia linea, quantumcumque breuis, est longitudo illo modo: secundo modo non sunt in genere quantitatis secundum se: sed primo modo; id est, vt species: sed non secundo modo; id est, vt passionis: quod manifestum est de multitudine, cui, vt est species, opponitur vnitas: & paucitas; vt est passio: & eidem vniuoco non sunt duo opposita, per Aristot. 1. Topicorum.

Cap. 13.

Adhuc potest argui, quod quantitas non sit vnum genus: quia vnus generis est tantum vna diuisio prima per duas differentias: quia tantum duæ primæ species: sed quantitas diuiditur æque primo duplici diuisione: scilicet, per continuum, & discretum: & per constare ex partibus habentibus positionem; & non habentibus; &c. Probatio maioris, per Aristot. primo Topicorum: si propositi sunt diuersæ differentia: vt coloris, in voce, & in corpore: ipsum est æquiuocum: & per Boetium libro Diuisionum: omnis diuisio generis sit per

Cap. 13.

duas differentias. Probatio minoris: neutra diuisio est subdiuisio alterius: quia tunc ambo membra alterius diuisionis continerentur sub aliquo membro reliquæ diuisionis: quod non est verum: vt patet inducendo.

Ad istud potest dici: quod non est duplex diuisio prima generis per differentias formales constituentes species: potest tamen vna esse per differentias formales; alia per materiales: quæ diuisiones non sunt sub inuicem: sicut corpus in genere substantiæ, præter diuisionem eius formalem in animatum, & in inanimatum; potest diuidi in corruptibile, & in incorruptibile: & utroque modo differentia se habent, vt excedentia, & excessa: & ita in proposito; prima diuisio est formalis: secunda materialis penes partes quantitatis.

Ad probationem maioris: Boetius, & Aristot. intelligunt de diuisione formali per differentias constitutivas specierum.

Summa textus.

CVM substantia; vt ait Doctor in 4. distinct. 12. q. 2. sit. E. & habeat esse subiectum accidentium; & habeat esse actualitatis intensiua: hoc est sit principium operandi: & quo ad hoc secundum qualitas sit illi propinquior; & ideo de illa prius erat agendum: nihilominus quoad primum quantitas est omnium accidentium primum: & in hac consideratione post capitulum substantiæ recto ordine caput de quantitate inseritur, quod à Philosopho quatuor conclusionibus absoluitur.

Prima conclusio. Quantum, aliud continuum; aliud discretum: illud est, cuius partes copulantur termino communi; cuius quinque sunt species: linea: superficies: corpus: locus: & tempus. Hoc vero, cuius partes non copulantur termino communi: vt numerus: & oratio.

1. Conclusio Aristot.

Secunda conclusio: quantum, aliud est, cuius partes habent positionem in continuo; vt quantum permanens continuum: nempe linea: superficies, &c. aliud, cuius partes non habent distam positionem: vt numerus: tempus: & oratio: numerus enim non habet positionem; sed tantum ordinem prioris, & posterioris; & tempus similiter: quia est in continuo fluxu: & idem de oratione.

2. Conclusio

Tertia conclusio: quantum, vnum per se; cuiusmodi est ipsa quantitas: aliud per accidens, quod ratione quantitatis solum quantum dicitur.

3. Conclusio

Quarta conclusio: quantitas tres habet proprietates: prima est non habere contrarium. Secunda

4. Conclusio

da: quod non suscipit magis, & minus. Tertia: quod est fundamentum æqualitatis: quod est maxime proprium quantitatis.

Quibus conclusionibus præsuppositis, subtilissimus præceptor circa hoc caput, tam principales, quam appendices, nouem quæstiones mouet, quarum prima, & secunda, quas nos sub vno titulo comprehendimus, inquirunt; An quantitas sit genus vnum: hoc est: An sit vnum generalissimum vniocum suis inferioribus? partem negatiuam quoad vtramque partem probat nonnullis argumentis: quibus non obstantibus.

1. Cõclus. Doctoris.

Dicit primo, quantitas est genus generalissimum: hanc probat autoritate Arist. & etiam ratione: quia prædicatur in quid de quantitate continua, & discreta: nec habet supra se aliud genus, quod de ipsa prædicetur: ens enim, quod de ipsa prædicatur; non est genus.

2. Cõclus.

Secundo dicit: quantitas est genus vniocum suis inferioribus: patet etiam autoritate Arist. & etiam ratione: quia prædicatur de suis inferioribus secundum nomē, & rationem: ergo est vniocum. Sed in quo consistat ista communis ratio quantitatis, non se determinat: duplicē enim opinionem refert cum suis fundamentis, & quāuis secundam magis probare videatur; non tamen se hic determinat: vt videbimus. Tandem soluit argumenta, quibus oppositum harum conclusionum persuadere nitentur. De quibus omnibus: prout ad præsens attinet; in nostris articulis videbimus.

ARTIC. I.

Quare hic quantitas ab Arist. non diffiniatur; sed solum diuidatur?

D VAS quantitatis diuisiones, & duas subdiuisiones, assignat Philosophus in textu: prima est: generis quātītatis, alia continua, cuius partes vniocum communi termino copulantur: & alia discreta, cuius partes non vniocum communi termino copulantur. secunda diuisio: quantitatis alia constat ex partibus positionem ad inuicem habentibus: id est, cuius partes habent modum situs in toto: permanentiam, & continuationem ad aliquem terminum communem: ita vt tria habeat: ordinem in toto: permanentiam: & continuationem: Alia non constat ex partibus habentibus positionem: id est, illa tria non habet: vt numerus; & tempus. Prima subdiuisio est. Quantitatis continuæ, alia linea; alia superficies; & alia corpus. Secunda: quantitatis discretæ, alia numerus. & alia ratio. Cum igitur Aristot. tantum huius generis nobis diuisionem proposuerit, & non eius diffinitionem, seu rationem conceptus quidditatiui; merito in primis dubitatur; quare hoc fecerit? ex quo patet Articuli titulus.

1. Sentent.

Prima sententia, seu responsio est Domini Caietani in præsentis dicentis, hoc Arist. fecisse: quia non est logici muneris rerum essentias inquirere; sed ea, quæ in Prædicamento ponuntur, disponere.

Secunda sententia est Nicolai de Orbellis, & Patris Didaci à Iesu, asserentium; hic Aristoteli quantitatē non diffinisse: quia ex genere, & differentia non constat.

2. Sentent.

Tertia sententia, seu responsio est nobis amplectenda: pro qua dicendum primo, prima, & secunda responsio insufficientes sunt: de prima patet: quia dispositio rerum in Prædicamento præsupponit illarum cognitionem: male enim poterimus res in Prædicamento ordinare; illisque talem, vel talem locū, superioris, vel inferioris, tribuere; si prius illas non cognoscimus, ergo vt quantitatem in communi rationem generalissimam tribuamus; debemus prius eam quidditatiue cognoscere: igitur, &c.

3. Sentent.

1. Cõclus.

De secunda etiam constat: quia generalissima sunt notificabilia per ens, & per suos modos saltē: sunt enim entia completa: ergo quāuis quantitas per genus, & differentiam, non diffiniretur, posset per suum modum notificari: sicut ipse Philosophus fecit de Prædicamento ad aliquid; & qualitatis.

2. Cõclus.

Dicendum secundo, ideo Arist. hic quantitatem non diffiniuit, quia ex cognitione inferiorum, in quæ diuiditur, facillime eius notificatio haberi posset. Et etiam quia in 5. Metaph. eius conceptum explicauerat: & cum Logicus; vt in sua scientia perfectus sit; debeat ad Metaphysicam recurrere; ex ea, quid sit quantitas, facillime reperiet.

Dub.

Sed dubitabis: quare hoc Prædicamentum aliquando quantitas in abstracto; aliquando quantum in concreto nominetur?

1. Respons.

Respondeo: quia sumitur concretum pro abstracto: sicut communiter apud Doctorem, totum, v. g. homo, solet humanitas appellari: licet sit ipse homo in concreto: sic è contrario in proposito, quantum pro abstracto sumitur.

2. Resp.

Secundo respondeo: quia cum concreta accidentium sint nobis notiora, quam abstracta; ideo cum quantitas sit proximum subiectum; licet nõ vltimum; accidentium; illud nominat Aristot. in concreto.

3. Resp.

Tertio respondeo: hoc esse in hoc Prædicamento peculiare; vt abstractum per concretum nominetur: quia sicut concretum dicit subiectum extensum: ita ipsa quantitas secundum se est extensa habens partes distinctas, extra partes: habetque in se omnia, quæ suo tribuit subiecto: vt patet in altaris Sacramento: quod alijs accidentibus nequaquam conuenit: albedo enim non albificatur; sed solum tribuit esse albu. Et vltra: quantitas est subiectum, quod, non vltimum, & quo, aliorum accidentium: & ideo hoc priuilegio gaudet. Vnde hæc propositio: quantitas est quanta: in sensu materiali est vera: non vero formaliter loquendo: nam tunc, vel quantum sumitur adiectiue; vel substantiue: si primo modo: est falsa: facit enim hunc sensum: quantitas denominatur à quātītate: & tunc, vel à seipfa: & est prædicatio identica sic: quātītatis est quātītatis: vel denominatur ab alia: & de illa inquiri; an sit formaliter quātā: & sic in infinitum: vel dicendum: quod nõ est formaliter denominatiue quātā. Si autem sumatur substantiue: est sensus: quantitas est habens quantitatem, quod est falsum: nõ

nihil

nihil est sui ipsius subiectum: vide Doct. ad primum, primæ quæst.

ARTIC. II.

Quæ sit ratio formæ quantitatis in communi?

Quamuis Philosophus hic quantitatem non diffinierit; illa tamen in 5. Metaph. tex. 18. sic eam diffinit; seu potius notificat: Quantum est diuisibile in ea, quæ in sunt, quorum singulū natura est esse hoc aliquid. Dicitur; quantum esse diuisibile: vt excludatur indiuisibile: nepe pūta: quæ nullatenus diuidi possunt: dicitur; in ea, quæ in sunt: hoc est, in partes quātītatiuas eiusdem rationis, quas actu, & formaliter, habet: vt excludatur mixta, quæ solū virtute elementa continent: dicitur; quorum singulū natum est esse hoc aliquid: vt denotetur: quod vnaquæque pars earum, in quas diuiditur, apta est, vt facta diuisione, per se, vt vnum quoddam eorum, separatim consistat.

1. Sentent.

Ex qua aristotelica, quantitatis descriptione est prima circa præsentem difficultatem sententia asserens, rationem formæ quantitatis consistere in aptitudine proxima ad hoc, vt corpus in partes eiusdem rationis diuidatur. Ita Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. ad 1. & dist. 18. ad 1. Aursoli, & dist. 19. ad 2. contra 1. & in 4. dist. 10. ad confirmationem secundi contra primam: Sōzinas 5. Metaph. q. 2. 1. Iabellus q. 20. quibus fauere videtur D. Thom. 1. Phys. lect. 3. & quodlib. 9. q. 4. art. 1. & in 1. dist. 19. q. 1. art. 1. ad primum: & alibi: noster Doctor in præsentis, vbi hanc sententiam approbare videtur: & probatur rationibus ab eo factis, & habitis ibi: ideo dicitur aliter.

2. Sentent.

Secunda sententia asserit, rationem quantitatis consistere in habitudine mensuræ: hæc opinio; quæ; sicut & præcedens, tempore Doctoris iam celebris erat; tribuitur D. Thom. opusc. 52. de natura loci: & 1. p. q. 7. art. 3. ad 2. & q. 19. art. 1. quibus in locis quantitatem per rationem mensuræ describit: quæ ex eius mente sequitur Fladria 5. Metaph. q. 14. art. 5. & probatur argumentis habitis in textu, ibi: Sed quæ sit illa vna ratio.

3. Sentent.

Tertia sententia affirmat rationem formæ quantitatis esse extensionem in ordine ad locū, seu impenetrabilitatem: id est, extensionem illam, per quam substantia petit occupare locū extensum, distinctum situ, & positione, à loco alterius; & redditur impenetrabilis cum alio corpore. Ita noster Nominalium Princeps Ochamus in sua Logica cap. de quantitate, quæ sequitur Suarez 2. tomo Metaph. disp. 40. sect. 4. num. 15. quæ probat: tū à sufficere diuisione: tū etiā quia nullus effectus prior, aut inseparabilioris intelligitur à nobis in quantitate: ergo non potest eius essentialis ratio melius explicari, quam per hunc effectum formalem: cum essentialis ratio formæ in habitu dine ad suum effectum formalem consistat.

Argum.

Quarta sententia asserit extensionem partium in ordine ad se: prout præcedit extensionem in ordine ad locū: rationem mensurandi; & proximam diuisibilitatis in partes eiusdem rationis; esse rationem

4. Sentent.

formæ quantitatis: hæc est cõmunis apud Scotistas; colligiturque ex Doct. 5. Metaph. q. 9. eaque tuetur plures Thomistæ, quos citat, & sequitur Araujo 5. Metaph. q. 3. art. 1. pro qua notandum 1. quod dupliciter articuli titulus intelligi valet: primo enim potest inquiri; quæ sit ratio quātītatis in se: prout est ens quoddam realiter ab alijs Prædicamentis distinctum: secundo: quis sit eius effectus formalis, & primus, quæ tribuit substantiæ; quatenus est forma accidentalis ipsam realiter, & intrinsece, afficiens.

1. Nota.

2. Nota.

Secundo notandū: duplicē esse extensionem: aliam entitatiuam; & aliam quātītatiuam: extensio entitatiua est, quæ vna pars entitatis nõ est alia: seu ab alia distincta: vt in substantia hominis: substantia capitis non est substantia pedis: & hæc in quantum re materiali reperitur. Extensio quātītatiua est illa ratio accidentalis, quæ vna pars extra aliam esse postulat separata, & diuisa: inter quæ duplicē extensionem est maximū discrimen: nam sicut existere per se aliter dicitur de substantia, & aliter de accidente separato, vt in Eucharistia: quia de substantia dicitur per repugnantiam; vt sit in alio: repugnat enim substantiæ esse in alio, vt in subiecto inhærentis: at vero de accidente existere per se dicitur per non repugnantiam, vt sit in alio: quæ non repugnantia ad essendum in alio, vt in subiecto, est ipsa natura accidentis positua per negationem explicatam: ita pariformiter habere partes extensas eiusdem rationis aliter dicitur de re materiali sine quantitate; & aliter de ipsa quantitate: nõ de substantia, v. g. dicitur per repugnantiam, vt sit tangibilis, seu sensibilis, vt occupet locum circumscriptione; etiam in loco ponatur; vt sit diuisibilis, & separabilis in partes eiusdem rationis actione aliqua physica instrumentaria, & quātītatiua; vt sit impenetrabilis cum alia substantia: nõ naturaliter penetrari potest: vt sit alba, vel nigra, ac accidentium communium susceptiuæ: ac denique vt sit radix æqualitatis, & mensuræ mollis: hæc enim duo partes quantas in substantia prærequirunt: Sed habere partes extensas dicitur de quantitate effectiue per non repugnantiam ad omnia supradicta: ipsi enim separata non repugnat esse tangibilem, seu sensibilem; esse occupatiuam loci circumscriptione; esse diuisibilem, ac separabilem, in partes, actione physica, & instrumentaria; esse susceptiuam accidentium realium; esse æqualem; & rationem mensuræ: ac tandem est impenetrabilis naturaliter cum alia quantitate: primo talis extensio quātītatiua est ratio quædam positua, cui hæc omnia naturaliter conueniunt: & est apta aptitudine remota, vt sibi omnia insint; & ea substantiæ cõmunicet, quasi actiue, & per modū effectus sui formalis: prius enim insunt quantitati, quam illa substantiæ cõmunicet, & tribuat.

3. Nota.

Tertio notandum: quod sicut quantitas in communi abstrahit à continua, & discreta; permanente, & successiua; habente positionem; & nõ habente ipsam: sic eius effectus formalis communis abstrahit ab omnibus eius effectibus specificis quantitatum inferiorum: sicut enim quantitas in communi contrahitur ad esse quantitatis continuæ per habere partes extensas vniocum

24 ni ter